



Lvdouicus cognomento Barbatus filius fuit
 Steffani ducis, qui Ingolstadij in Bauaria reb.
 praefuit. Erat is literarum itudiosus & pietati dedi-
 tissimus. in pauperes etiam pius, & erga popula-
 res & subditos clementissimus. Interim etiam tra-
 ctandis armis & rerum usu peritus, ita ut neq; su-
 periorē, neq; parem circa se habere potuerit. itaq;
 subinde cogitauit, qua ratiōe fines sui ducatus am-
 pliare, & magna laude nomen suum ad posteros
 transmittere posset. propterea etiam factum ut di-
 uersa fortuna perpetuò usus fuerit. Primò autem
 accidit, cum pater in Galliam profectus esset, atq;
 filiam Elizabetham Carolo sexto regi desponde-
 ret, illo domi relicto, ut Ludouicus Frisingam certis de causis occupare nite-
 retur. Sed cum illud minus citò succederet, iram in Ioannem Monacensem du-
 cem cōuertit, qui eius conatibus obstiterat. Itaq; eius oppidum Neostadium
 octauo Idus Ianuarias expugnat & diripit. Mortuo deinde Ioanne duce Mo-
 nacensi, eius filios Vuilhelmum & Ernestum urbe eijcit, atq; ipse Monachio
 potitur. Postea uerò cum pater domum reuersus esset, ipse anno 1399 ex Bua-
 ria cum Ioanne duce Boiariae inferioris, qui Bathauij residebat, & Episcopo
 Leodiensi in Gallias ad sororem reginam Franciaē profectus est.